

DISPUTATIO LOGICA SECUNDA  
DE  
NATURA LOGICES.

Respondente  
IOHANNE RASPERO LANDSHUTTANO  
SILESIO.



Reclarè Aristoteles l. 2. de Cœlo  
loc. 5. ait: Οὐ δίκαιόν γε πᾶσιν ὁμοίως  
ἰπλιμάσθαι ἀλλ' ὁρᾶν δεῖ τὴν αἰτίαν τῆς  
λέγειν, τίς ἐστίν. εἰ δὲ πῶς ἔχων τὰ πι-  
σεύειν πότερον ἀνθρώπινως, ἢ καρτερικώ-  
τερον. Et, quia libera sunt hominum iudi-  
cia, nullisq; ullius disciplinæ legibus astri-  
cta, quibus necessariò pareant: nos, quid  
de hac disciplina Rationali, quam nunc  
considerandam suscepimus, sentiamus,  
quid ei tribuamus, qualem ei naturam as-  
scribamus, liberè dicemus, ac nullius in verba magistri iurantes, breviter  
proponemus & explicabimus: ita tamen, ut meliora & accuratiora  
proferenti, ultrò nos erudiendos offeramus: amicus enim nobis PLATO:  
amicus ARISTOTELES: amicus RAMVS: amicus ZABARELLA: sed magis amica VERITAS.

THEMA I.

*Cum autem omnis confusio difficultatem pariat, & neglecto cer-  
to scopo, fieri non possit, quin varijs intricemur labyrinthis: omnino  
removenda erunt ea, quæ veritatis inquisitionem remorari possunt, atq;  
ordiendum ab ijs, quæ viam reliquorum investigandorū nobis aperiant.*

II.

*Ac primò quidem etsi vocum, quibus unaquæq; res exprimitur,  
curam non negligendam censeo: Cum enim hæ sint rerum symbola, qui-  
bus eas in aliorum noticias ingerimus: sequitur vocib. non rectè ac-  
ceptis, res ipsas periclitari: attamen nolumus de appellatione huius Di-  
scipline presentis odiosè cum quoquam contendere, in memoriam nobis  
revocantes institutum & consilium Melancht. lib. 4. Dial. Omittamus,  
inquit, λογομαχίας, & eligamus utilia præcepta, & videamus, quomodo  
modo ad usus aptè referri possint.*

B

Et quia